

tatur in certificatorio Briani, decani et capituli custodum spiritualitatis, de hoc actu. fol. 642. seq.

Si naturaliter obligamur hiis maxime benefacere, qui de nobis prae caeteris bene meriti sunt, etc. "ut in proximi praecedenti concessione cleri Cantuar. provinciae, mutatis mutandis."

In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium has literas nostras testimoniales, sive hoc praefens publicum instrumentum exinde fieri, ac per magistrum Richardum Farley, notarium publicum, ac scribam nostrum in

hac parte assumptum, subscribi et signari mandavimus, nostrique sigilli iussimus et tecimus appensione communiri. Data et acta sunt haec omnia et singula, prout superius scribuntur et recitantur, sub anno Domini, indictione, pontificatu, mensibus, diebus, et locis praedictis, praesentibus tunc et ibidem venerabilibus viris, magistro Thoma Magnus, archidiacono Eastriding, in dicta ecclesia metropolitana Ebor. ac magistro Willielmo Clarburgh, U. J. doctore, archidiacono Wigorn. testibus ad praemissa rogatis et requisitis.

Papae Rom.
CLEMENT. VII. 8.

Archiep. Cant.
GUILIEL. WARHAM 28.

Anno Christi
1531.

Reg. Angliae
HENRIC. VIII. 22.

Cuthberti Tunstall, episcopi Dunelmensis, protestatio contra titulum Henrico VIII. in concessione subsidii datum, quo vocatur "Supremum caput." Ex regist. convoc. Ebor.

EGO Cuthbertus, permissione divina Dunelm. episc. dico et allego in hiis scriptis, prout sequitur. Cum in verbis concessionis cujusdam pecuniae summae illustrissimo domino nostro Henr. VIII. Dei gratia Angliae et Francia regi, fidei defensori, et domino Hiberniae, in praesenti concilio provinciali concessae, in praefatione, ubi de Lutheranorum repressione fit mentio, inter caetera contineantur haec verba, scilicet— "Quamplurimos hostes, et maxime Lutheranos, in perniciem ecclesiae et cleri Anglicani (cujus singularem protectorem unicum et supremum dominum, et, quantum per Christi legem licet, etiam supremum caput ipsius majestatem recognoscimus) conspirantes," etc. — Quae verba, quanquam plerisque absque periculo ullius offendiculi posita videantur, mihi tamen recogitanti, quod quidam nuper de crimine haerese suspecti et impetiti horum verborum sensum perverse capientes, episcoporum suorum judicium declinare conati sunt, apertius distinguenda et ponenda ea videntur, quae sub hiis verbis includi possunt, viz. ut, si per ea intelligatur, quod rex sit post Christum supremum regni sui, et cleri Anglicani in terrenis et temporalibus caput, sicut revera est, et omnes recognoscimus, sic ad vitandum malignorum interpretationem exprimenda sunt verba, ne in alium sensum ab haereticis trahantur. Si vero per ea intelligatur indistincte, prout verba sonant, quod rex tam in spiritualibus, quam in terrenis et temporalibus sit supremum ecclesiae caput, et quod ita licere per Christi legem affirmetur, sicut malignantes quidam illa verba [scilicet, quantum per Christi legem licet] tanquam assertive posita capere videntur, quia hic sensus cum sententia catholicae ecclesiae videtur non convenire; idcirco ab hujusmodi sententia, verbis sic intellectis et positis, ne ab ecclesia catholica, extra quam nemini Christiano est salus, dissentire videar, expresse dissentio. Et

quia verba illa (scil. quantum per Christi legem licet) saniore intellectu per alios, tanquam limitative aut restrictive posita, sumuntur; quia tamen ambiguum relinquunt, quod liceat per legem Christi; et in uno sensu, si de terrenis et temporalibus intelligantur, rex post Christum sit supremum caput, utpote qui sit super omnes, et quo non sit alius superior, cum hoc liceat per legem Christi; si vero de spiritualibus intelligantur ea verba, rex non sit supremum caput ecclesiae, cum hoc per Christi legem non liceat: et verba etiam illa (scil. supremum caput ecclesiae) multiplicem sensum habere possunt, unum in spiritualibus, alterum in temporalibus, tertium tam in spiritualibus quam in temporalibus, et ad propositionem multiplicem non sit danda simplex responsio; eapropter, ne pusillis occasionem demus scandalali, quod Christus omnes vitare jubet, magis aperte declarandum existimo, quod omnem illum mundanum et terrenum honorem regiae majestati cum omni humilitate, obedientia, et subjectione deferimus, qui christiano regi et principi a sacerdotibus sibi subditis quovismodo deferri potest; quem ego inprimis regiae majestati, de me supra quam ullis verbis explicari potest bene merita, libens deferre et praestare semper paratus ero. Et ne verba sub ea forma, qua scribuntur, non declarata prodeant, ne scandala malignis aut pusillis sensu generare possint, expresse in hiis scriptis dissentio; et similiter declarandum et exprimendum puto verba illa (scil. unicum et supremum dominum) in temporalibus post Christum accipi; subjiciens me in omnibus et hunc meum dissentium, declarationem, et protestationem, et omnia, quae superscripta sunt, sanctae matris ecclesiae judicio; et peto in acta hujus concilii ea omnia redigi, et publicum instrumentum mihi inde fieri. Et vos venerabiles viros hic praesentes ad perhibendum testimonium requiro.